

fecit et constituit. Eodem anno, quo Iulius Cesar ad Galliam Transalpinam subiugandam pariter et suppeditandam perexit, in Romana urbe erant tres pretores, et dicebantur pretores, quia omnibus aliis preerant. Similiter Romani imperatores appellabantur, quia Romano imperio universo imperabant et ad Romanorum rebelles subiugandos erant constituti. Unus quoque Ponpeius et alter Iulius Cesar, tertius quidem Marchus Grassus. Qui eo tempore ad Parthiam¹ et Emathiam² subiugandas³, que Romano imperio tributa⁴ recusabant, cum legione una militum et cum magna manu virorum armatorum iussu senatus proficisci properabat. Audiens autem Nectabus⁵ Parthorum⁶ et Emathiorum rex talia⁷, vir magne probitatis et audacie, exercitum indefinitum militum et virorum bellicorum coadunavit et cum ipso exercitu in introitu terre sue se obviam Romanis prebuit. Preliati sunt namque fortiter, et duravit illud prelium ab ortu solis usque ad occasum, et ea die pari pugna discexerunt; *tamen multi ab utraque parte sunt *f. 27^c. interempti et vulnerati. Altera vero die summo diluculo clangis et tubis et instrumentis belli per partes sonantibus prelium magnum et iniquum incipitur; preliati sunt namque iniquissime per totam diem. Videntes autem Parthi et Emathi resistere minime posse, terga vertentes fugam petierunt. Quos Romani insequentes, magnam partem eorum ceperunt, partem quoque eorum gladio interfecerunt, multos in campo semivivos et vulneratos relinquerunt; et nisi obscura nox intervenisset, fere omnes cepissent et in potestate eorum habuissent. Parthi vero et Emathi per totam noctem fugientes infra menia civitatis Frigie cum Nectabo rege eorum se excluserunt. Die vero veniente Romani ipsos insequentes in illa civitate illos obsederunt. Cum autem in obsidione illa per tres stetissent menses, percipientes⁸ in terris eorum se resistere non posse, pactum a Romanis petierunt, dicentes se civitatem in potestate et virtute Romanorum esse daturos, prebentes ipsis in rebus eorum et personis fidutiam. Quibus imperator Romanorum hoc modo esse facturum respondit: scilicet quod ei essent daturi quinquaginta talenta auri puri. Intrinsici vero hoc totum esse facturos et plenarie observaturos dixerunt: imperator⁹ Romanus cum paucis civitatem intrare deberet, ipsam quoque civitatem et omnia que vellet accepturus. Qui cum paucis in civitatem *intravit. Intrinsici tante perfidie conscii, ianuis illico clausis, *f. 27^d. Romanum imperatorem et viros, qui secum in civitatem in-

1) 'parchiam' Hs. 2) 'euathia' Hs. Natürlich meinte Codagnellus, diese macedonische Landschaft liege in Asien. 3) 'subiugandos' Hs. 4) 'erat' fügt die Hs. irrig hinzu. 5) 'nectab' Hs. 6) 'parchorum' Hs. 7) 'taria' Hs. 8) Dieser Subjectwechsel ist eine der gewöhnlichsten Erscheinungen in allen Schriften des Codagnellus. 9) 'impatos' Hs.